



Politicorvm Libri Decem

Contzen, Adam

Colonia, [1621]

Cap. XIV. Forma Reipublicæ, eaq[ue] varia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95437](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95437)

querentium mundi originem terminat, quidam heretici non viderunt: quia egenam carnis huius fragilemque mortalitatem, iam de iusto supplicio venientem, dum ei non conveniunt plurima offendunt: sicut ignis, aut frigus, aut fera bestia, aut quid huiusmodi. Nec attendunt quam vel in suis locis naturisque vigeant, pulchroque ordine disponantur: quantumque vniuersitati rerum pro suis portionibus decoris tanquam in cōmunem Rempub. conferant, vel nobis ipsis, si eis congruenter atque scienter utamur, commoditatis attribuant: ita ut venena ipsa quae per convenientiam perniciofa sunt, convenienter adhibita in salubria medicamenta vertantur: quamque a contrario etiam haec quib. delectantur, sicut cibus & potus, & ista lux, immoderato & importuno usu noxia sentiantur. Vnde nos admonet diuina providentia, non res insipienter vituperare, sed utilitatem rerum diligenter inquirere: & ubi nostrum ingenium vel infirmitas deficit, ita credere occultam, sicut errant quaedam, quae vix potius inuenire: quia & ipsa utilitatis occultatio, aut humilitatis exercitatio est, aut elationis attritio, cum omnino natura nulla sit malum nomenque hoc non nisi sit priuationis boni: sed a terrenis vsque ad caelestia, & a visibilibus vsque ad inuisibilia sunt aliis bonis alia bona meliora sed hoc inaequalia ut essent omnia. Deus autem ita est artifex magnus in magnis, ut minor non sit in parvis: quae parua non sua granditate, nam nulla est, sed artificis sapientia metienda sunt: sicut in specie visibili hominis, si vnum radatur supercilium, quam promemodum nihil corpori, & quam multum detrahatur pulchritudini, quoniam non mole constat, sed parilitate & dimensione membrorum.

§. 18. Concludam hanc de Deo Reipublicae gubernatore disputationem insigni discursu S. Aug. de quo licet supra quoque actum sit, ab illo tamen viro omnium ingeniosissimo neruolius mihi exponi videtur.

De Gen. ad literam, lib. 5. c. 22. sic disputat. Et certe isti qui hoc negant, nec sanctis eloquiis tantae auctoritatis acquiescunt, fin hac mundi parte quam putant fortuitis mortibus perturbari, potius quam sapientia diuina summitatis regi: & hoc ut quasi probent, gemino abutuntur argumento, vel quod supra commemoravi, de inconstantia tempestatum vel de felicitatibus atque infelicitatibus hominum, quod non pro vita meritis accidunt, videntur tantum ordinem, quantum in membris carnis cuiuslibet animantis apparet, non dico medicis, qui haec propter suae artis necessitatem diligenter patefacta & enumerata rimati sunt, sed cuiuslibet mediocris cordis & considerationis homini: nonne clamarent, ne puncto quidem temporis Deum, a quo est omnis mensurarum modus, omnis paritas numerorum, omnis ordo ponderum, ab eius gubernatione cessare? Quid ergo absurdius, quid insulsius sentire potest, quam eam totam esse vacuum nutu & regimine providentia, cuius extrema & exigua videas tanta dispositione formari, ut aliquanto attentius cogitata ineffabilem incutiant admirationis horrorem: Et cum anima natura natura corporis antecellat, quid est dementius quam putare nullum esse diuinae providentiae iudicium de moribus hominum, cum in eorum carne tanta eius solertia clareant & demonstrentur indicia? sed quia haec minima in promptu sunt sensibus nostris, & ea facile in vestigamus, elucet in eis ordo rerum: at illa quorum ordinem videre non possumus, inordinata arbitrantur qui esse non putant nisi quod videre possunt, aut si putant, tale aliquid putant, quale videre consueverunt. Nos autem, quorum gressus, ne in illam peruersitatem incidamus, eadem diuina providentia per sanctam scripturam regit, ex ipsis quoque operibus Dei eodem adiuvante indagare conemur, ubi haec simul creauerit, cum a consummatis suis operibus requieuit, quorum species per ordinem temporum, vsque nunc operatur. Consideremus ergo cuiuslibet arboris pulchritudinem in robore, ramis, frondibus, pomis, haec species non vique repente tanta ac talis est exorta, sed quo etiam ordine nouimus. Surrexit enim a radice, quam terre primum germen infixit: atq; inde omnia illa formata atque distincta creuerunt. Porro illud germen ex semine in semine ergo illa omnia fuerunt primum, non mole corporeae magnitudinis, sed ripotentiaq; causali. Nam illa magnitudo copia terra humoris

congesta est. Sed illa in exiguo grano mirabilior praestantiorq; vis est, quia valuit adiacens terra commixtus humor, tanquam materies verti in ligni illius qualitatem, in ramorum diffusonem, in foliorum viriditatem, ac figuram in fructuum formas & opulentiam omniumq; ordinatissimam distinctione. Quid n. ex arbore illa surgit aut pendet, quod non ex quodam occulto thesauro seminis illius extractum atque depromptum est? At illud semen ex arbore, licet non illa sed altera, atque illa rursus ex altero semine. Aliquando autem & arbor ex arbore, cum surculus demitur atque plantatur. Ergo & semen ex arbore, & arbor ex semine, & arbor ex arbore. Semen autem ex semine nullo modo, nisi arbor interueniat prius. Arbor vero ex arbore, etiam si semen non interueniat. Alternis igitur successione, alterum ex altero, sed vtrumque ex terra, nec ex ipsis terra. Prior igitur eorum parens terra. Sic & animalia, potest incertum esse, vtrum ex ipsis seminibus, an ipsa ex seminibus. Quodlibet tamen horum prius, ex terra certissimum est. Sicut autem in ipso grano inuisibiliter erant omnia simul quae per tempora in arborem surgerent: ita & ipse mundus cogitandus est, cum Deus simul omnia creauit, habuisse simul omnia quae in illo & cum illo facta sunt, quando factus est dies: non solum caelum cum sole & luna & sideribus, quorum species manet motu rotabili, & terra & abyssus, quae velut inconstantes motus patiuntur, atq; inferius adiuncta partem alteram mundo conferunt, sed etiam illa quae aqua & terra produxit potentialiter atque casualiter, priusquam per temporum moras ita exorirentur, quomodo nobis ita nota sunt in eis operibus, quae Deus vsq; nunc operatur.

CAPVT XIV.

Forma Reipublicae, eaque varia.

§. 1. De partibus, & membris quae Rempublicam constituunt, deq; eius auctore Deo, & natura, iam nisi fallor, dictum est satis. Nunc de ipsa eius forma quaeq; ab ea oriuntur, diuisionibus agendum est.

Forma, siue vt vocat Aristoteles, & Plato, τὸ εἶδος, species, seu ipsum τὸ ἦν, hoc est, Essentia est: quae ex hominibus ceterum constituit, qui Respublica dicitur. Est vero ea, ordo imperantium, atq; parentium, harmonia quaedam atque anima; diuersa ingenia, functionesq; complectens, vinciens, vegetans. Haec cum vna atq; eadem perseverat, manere eadem Reipublicae species dicitur; haec si mutetur, quamuis edificia, moenia, suburbia, atque adeo homines maneant iidem, non eadem tamen Respublica manere potest. Alia Romae instituta est Respublica cum pulso Tarquinio penes consules imperium fuit; alia, cum lege Regia in vnum iterum delapsa est potestas.

§. 2. Formam Reipublicae tripartitam facere est omnibus consuetum auctoribus. Est enim Monarchia, Aristocratia, Politia, seu populi regimen. Sumpta haec ex Platone: εἴ τι ἐκ τῶν, οἳ τὸ πᾶν πόλιν αὐτὴν κυβερνοῦνται, αἱ δὲ ἀποκεκρίσται, αἱ δὲ εἰς ἑαυτὰς ἰσχυροῦνται. Si tibi non constat, vtrum quaedam ab vno, quaedam a populo, quaedam ab optimatibus administrari. Magistrum imitatus Aristoteles l. 3. pol. c. 7. Necessse est imperare aut vnum, aut paucos, aut multos. Receptissima haec est particio. In qua tamen animaduertas licet, non esse diuisionem τὸ πᾶν αὐτὴν, membrorum scilicet pari amplitudine distinctum; ideoque Plato aliquando duas species constituit. Nam Rempublicam gubernat vel vnus, vel plures, si vnus Regnum, aut Monarchia nominatur; si plures, vel si pauci sunt, vel totus populus: ex quo duae species ἀρχὴς τῶν πολιτικῶν, imperij plurimum, consurgunt, optimatum, & populare regimen. Sed Platonē audiamus, de leg. l. 3. Sunt politiarum quasi matres duae, ex quibus qui alias omnes progenitis dixerit, recte dixerit. Et haec quidem appellari Monarchiam rectam, illam vero democratiam, seu populi regimen, & illius quidem summum Persarum natio, huius nos tenemus. Et lib. 5. εἰς τὸν γὰρ αὐτὸν πολιτικῶν εἶδος. Sinto igitur duae politicae species. Idem in politico, septem administrationis formas constituit, Regiam, tyran-

Quid forma Reip.

Forma mutata Respublica mutatur.

Triplex Reipub. forma.

Duae forma Septem for.

tyrannicam, optimatum imperium, & paucorum, populare secundum leges, & populare contra leges, atq; illæ sex sunt species, tres legitimæ, tres vero minime. Optima ab his seiuncta, nempe Monarchia seu vnius principatus bonis descriptionib⁹ deuinctus, hoc est, legibus. Monere ista oportuit, vt Reipublicæ natura, partesque omnes penitus inspiciantur. Veruntamen maneat, quando ita receptum est, tres esse Reipublicæ formas legitimas, tres earum à bona gubernatione discessiones, de quibus singulis deinceps dicemus.

Omnes species hoc tempore misce sunt.

Regna Christianorum sunt fere Monarchia Aristocratica. Romani imperij ordinis.

§ 3. Nunc hoc statuimus, tres illas Reipublicæ species ita fere hoc tempore temperatas esse, vt nūquam vel Monarchia pura, vel Aristocratia, vel Politia reperitur. Omnes enim Imperatores, Reges, Principes, (de Turca, Moscoque non loquor) & si q. similem formam habent, certis legibus potestatem habent circumscriptam, multis se sacramentis suæ Reipublicæ obstrinxerunt, & multo magis, qui inter optimates, & e populo magistratus capessunt. Itaq; omnia pene regna Christianorum sunt Monarchia Aristocratica, & politica. Imperium ipsum Romanum admirabilem habet trium Rerum publicarum commissionem, summum caput est Imperator Augustus, cui ius est in omnes, sed secundum leges iudicare debet. Optimates sunt electores septem, alique principes, nec de iure nobilitati sua decora, & multis imperatorū priuilegiis firmata libertas. Nec populus excluditur; ciuitatum liberarū sunt gubernacula, illarum in conuertiis publicis suffragia audiuntur, ad summos quosdam magistratus plurimis aditus patet. Non potest imperator opprimere principes, nec hi nobilitatem, cu ex nobilitate sint multi principes suæ nationis patroni. Sed neque ciuitates manente Imperatoris auctoritate vicinorum principum potentiam extimescunt. Heluetii Democratiā imitantur, & olim nobilitatem aut expulerunt, aut in ordinem redegerunt; optimates tamen rem administrant. Veneti ducem vnum habent quidem, sed tota potestas est penes optimates, seu nobilitatem, quæ triplex esse refertur, vetus, media, noua. Multis tamen ciuium ad minores dignitates via patet, verum nobilium suffragio ac decreto omnia peraguntur.

Cum est vna forma absoluta facile mutatur.

Error in corrigenda repub.

§ 4. Hanc vnicā causam arbitror, cur nunc forma Rerum publicarum Christianarum rariis commutetur, cum videamus olim Romæ, Athenis, Carthagine, perpetuo nouis rebus maximā partem studiis; quia alterius partis excessus peccabatur. Quæ admodum agra corpora in continua iactatione versantur, & mutatione loci leuationem doloris quarunt: quia enim malum vicibus inhaerens excutere nequeunt, varietatem dolendi amplectuntur, ita se habet Reipublica valetudo, cum enim vna eius pars, vel Princeps ipse, vel optimates, vel plebs infima præter leges, & cum aliorum membrorum damno, pressuque crescit, totum corpus concutitur, atq; conuellitur, mutationemque affectat: si enim potestate sua præter ius princeps utatur, non tam principem; quam mores principis detestari optimatum imperia malunt; at cum collata in paucos potentia vident pro vno tyranno nouos in diem succedere tyrannicos, regem repossunt, aut populi regimen; sed in co plura etiam incommoda sentientes, tribunos oderunt, & nomine libertatis oppressam libertatem multo acerbius ferunt; sed in eo perpetuo peccant, quod cum totam reipublicam corrigere volunt, non hoc agunt, vt æquatis legibus in vnam cōeordiam, atq; amicitiam coalescant, sed eam partem quæ premere alias videbatur, præter modum exagitant, penitus opprimere, atq; elidere conantur, eius deinde vires in aliam partem conferunt, quam prio-

re faciunt insolentiores; nec enim equare libellam, nec moderari ciuitatem, sed alteram partem deprimere, & vincere propositum habent. Neq; memini vllam Remp. correctā, in qua hæc facta non fuerint.

§ 5. Superest, vt, quæ Reipub. forma conueniat diuersis nationibus, exponā. Natura enim hominū, ingenioq; intellecto facile legislator de forma Reipublicæ statuet, & magistratus sine discrimine moderabitur. Arist. l. 6. c. 7. polit. Aristocratiam eo in loco constituendam censet, vbi opus est milite grauis armatura; vt iequitatu; nam equos bello alere, & grauem armaturam curare, non est tenuium, sed diuitum. Si igitur diuites pericula sustinere, sumptum belli in se suscipere, partem tueri coguntur, iustum etiam est, vt in honoribus ac magistratibus capiedis primas partes obtineant, vt sint penes eosdem commoda, & pericula. E contrario vbi opus est velutibus, crebris excursionibus, populi regimen est accommodatius. Hoc enim spectandum est, vt illi qui in armis exercentur, dignitatem in Republica obtineant; neque enim diu armati inermibus obtemperare, nec missilacere, nisi cum visum est, solent; cogi enim non possunt. Arma tenenti omnia dant, qui iusta ne-

Aristocratiā bona est si ciuitas opus habet equitatu.

Politia comoda est, vbi velutibus, & ant; neque enim diu armati inermibus obtemperare, nec missilacere, nisi cum visum est, solent; cogi enim non possunt. Arma tenenti omnia dant, qui iusta ne-

§ 6. Spectandæ inclinationes animorum sunt, & mores. Quidam enim Regem malunt, vt Persæ post eadem Magorum, Israhelita tempore Samuelis, alii regium statum, atque etiam nomen abominantur, vt Romani post Tarquinos vrbe pulsos. Gracia reddita per Quinctium libertate, plausu, ac clamore aues attonitas cælo deiecit, acervos florum in Proconsulem proiecit, atq; Pārthi pluresque alia gentes Regem ab eodem populo petierunt.

Diversa populi inclinationes.

§ 7. Nec expedit quidem omnibus populis, esse liberos; itaque etiam Augustus, multas ciuitates libertate multauit, quod ea non recte vterentur. Ipse populus Romanus iam sui dissimilis cum in eo vitia excreuissent, vt maiorum virtute non possent amplius sustentari, libertatis suæ arbitrio esse non poterat, cum iam precio, & studiis, non ex æquo honores diuideret.

Multa populi non expedit libertas.

Annua venali redeunt certamina capis, ipsorum illis senator exprobrat. Perspexit hoc S. Augustinus lib. 1. de libero arbitrio. An potest aliquando iustum esse, vt mali miseri sint, boni autem beati sint; aut vt modestus, & grauis populus ipse sibi magistratus creat, dissolutus vero, & nequam ista licentia careat. Vdeo hanc æternam esse, atque incommutabilem legem; simul etiam se videtur arbitror, in illa temporali nihil esse iustum, atq; legitimum, quod non ex hac æterna sibi homines deriuauerint: Nam si populus ille quodam tempore iuste honores dedit, quodam rursus iuste non dedit, hac vicissitudo temporalis vt iusta esset, ex illa æternitate tracta est, quæ semper iustum est, grauem populum honores dare, seu non dare. Hac veluti trutina expendemus, cui genti, quæ forma Reipublicæ, quæ magistratuum lit ratio consentanea.

§ 8. Exempla ponam de longinquis aut priscis, ne nostra vitia tangam, quæ singularum nationum ita propria sunt, vt cum ab aliis populis omnibus exprobrentur, illi tamen domi suæ teneant, nec agnoscant. Qui intra tropicos aut proxime tropicos incolunt, timidi natura sunt, ex timore præcipientes, temerarii, & cum dominantur crudelēs. Omnes pene feruili indole; præcipue qui ob calorem sunt atto corpore. Nimio æstu namque calor insitus euocatur, spiritus vitales, & quos animales vocant, attenuantur, debilitanturque, vt nec affectus integri manent, nec ratio conseruat. Itaq; qui circa promontorium Bonæ Spei incolunt, Brasilienſes, alique populi si Europæis comparentur, bruta potius quam homines censi possent, nihil his melius, optatiusque deus dederit, quam bonum & clementem Regem, seu

Gentium peculiaris errata ab omnibus irrisa, domi ignorantur.

Populi intra tropicos stupidi & feruiles.

absolutam Monarchiam, ipsi enim ad obtemperandum nati sunt, multi eorum non immanes modo sunt, sed etiam anthropophagi. At quos Boreæ penetrabile frigus adurit, audacia valent, sed inconfulta, ideo & illi minus idonei sunt Aristocratiæ, nisi externis misceantur, aut diligenter instituantur. Temperatæ regiones ut saniora corpora, ita meliora & moderatiora ingenia producant, atque adeo aptiora ut civiliter vel regant, vel regantur. Sane si vetusta repetimus, Germani, Franci, ante eos Cimbri, Heruli, Gothi, Wandali, post eos Nortamni, Hunni, Dani, à Septentrione maxima multitudine egressi audacia, saevitiaque incredibili fuere, postea magna prudentia, & moderatione rempublicam instituerunt.

Arctoi audaces.

Emporiis aut Monarchia aut politia opus est.

Nobilitas mercatoribus pauperior urbem haud facile regit.

§. 9. Quid vero de illis urbibus quæ negotiatione multiplice opulenta sunt? Aut vnus principatû, aut populi regimen amplectentur. Si enim sint in vasto regno, facile & commercia distrahent, & tutâ habebunt negotiationem, experientia enim docuit, vrbes sui iuris, & opulentas, quæ habent vicinos principes potentes sæpe periclitari, itaque etiam vrbes sub umbra Imperii florescentes, & liberæ, antiquitus principes patronos, & protectores sibi delegerunt. Imperium optimatum emporia magna vix ferunt, cuius ratio est, quia ex infima plebe plurimi celerissime ad magnas diuitias, auctoritatemque diuitiarum comitem euehantur, optimates & nobiles annuos prouentus habent, qui ad negotiationum fructus nullo modo pertingunt. Duorum igitur incommodorum alterum accidat necesse est ut vel nobiles lautissimos mercatorum imitati, & alienum contrahant, patrimonialia accendant, egentelq; & dignitatis suæ tamen retinentes ad malas artes, peculatus, concussionem, & calumnias se vertant. Aut si pares facultatibus, sumptus faciant, à plurimis subditorum liberalitate, splendore, familia, potentia vincantur, ideoque contemnantur, contemptum autem sequitur status euersio. Seruatur tamen auctoritas, si vni pareant, ut fit in Imperio Germanico, vbi magistratus auctoritatem tuctur Imperator.

Hoc ita intelligo, vbi non est urbi annexa prouinciarum subditarum gubernatio, quemadmodum apud Venetos, nam vbi foris etiam imperant, sat multa habent ad potentiam, & auctoritatem prædicia.

Quamquam & alia ratione Veneta Respublica vritur. Nam aliquando trecentos vna vice ciues opulentos in nobilitatis corp⁹ pari iure transcriptis, quo facto, & ærario succurrit, & seditionum causas præcidit, adfectis in suas partes ciuib⁹ potentioribus, & aliis spe paræ dignitatis iniecta.

CAPVT XV.

Prima Reipublice species est Monarchia, eaque multiplex.

Monarchia vnus principatus.

§. 1. Monarchia est vnus principatus, cui ceteri omnes parent. Eum bifariam diuidit Aristoteles l. 3. polit. c. 7. In βασιλείαν seu regnum, & τυραννίδα, tyrannidem. βασιλείαν definit, τὴν μοναρχίαν τῷ πρὸς κοινὸν ἀποβλέπουσαν, eam quæ communem respicit utilitatem. Lippius. Vnus imperium moribus, aut legibus delatum, susceptum, gestum, parentum bono. Tyrannidem autem ait, esse μοναρχίαν πρὸς τὸ συμμερόν & μὴ πρὸς τὸ κοινόν. Esse Monarchiam utilitatem Monarchia spectantem.

Hoc igitur inter legitimum regnum & tyrannicum generale discrimen est, quod rex subditorum, tyrannus priuatum spectat bonum. Vel enim libido

dominandi, qua conteritur genus humanum, vel alia quæ videntur bona, tyrannum fascinant, regem subditorum salus excitat; quæ tamen & hoc requirit, ut interdum dominationem assumat, ea enim causa, ut auctor est Tranquillus: Urbium quasdam moderatas, sed ad exitum licentia precipites libertate priuauit. Recte, & prudenter, si non ut ipse dominaretur, sed illa ne perirent. Arcta sane lex est omni magistri posita, in tanta copia, in tam licentiosa potentia, in tanta amicorum importunitate sua quærentium: alienorum, & sæpe ingratorum, atque aliquando hostium commodis inuigilare. Est vero utile, quod nobis Plato definiuit, Δίκαιον τὸ τῆς καθεστυκίας ἀρχῆς συμφέρον, Iustum est, constituti imperii utilitas. Atque hoc est, quod filium suum iuueniliter exultantem Antigonem admonuit. Scito fili, regnum nostrum esse splendidam seruitutem. Optime, si verbis facta respondissent; nam seruus domini utilitatem, non suam spectat.

Augustus vrbes quasdam libertate priuauit.

Verus rex publicus est seruus.

§. 2. Regni autem genera sunt admodum varia, non tam potentia, & latitudine imperii, quam more lege, vsuque diuersa. Quædam enim hereditario iure ad filios & agnatos deuoluuntur, ut Regna Hispaniarum, Galliarum, Britannæ, multique principatus Europæ, alia electione dantur, ut Romanorum, Polonorum, principatus Ecclesiastici. Alia sunt regna libera; ita ut penes vnum regem sit omnium rerum potestas absoluta. Belli, pacis, sacrificiorum, iuris dicundi. Hoc regnum παμβασιλεία nominatur, estque sine lege vlla. Cætera regna legibus constituta sunt.

Regnorum varietas.

§. 3. Παμβασιλείαν definit Aristoteles, εἶναι τὴν πάντων κυρίαν, cum omnium dominus est, vnus existens, aut, cum omnib⁹ imperat secundum suam voluntatē rex. Comparat hoc regnum ipse cum œconomia; est n. ut œconomicū regnum, domus, sic politicū regnum, ciuitatis. Tale regnum describitur Dani. 5. 19. Quos volebat interfecit, & quos volebat percutiebat: & quos volebat exaltabat, & quos volebat humiliabat. Ita, Chaldaeus ille, siue iure, siue iniuria. Nec multum ab eo Persarum regnum aliquando abfuit, etsi legibus fundatum, sed leges interdum potentia violenta opprimebat. Xerxes Asiaticis principibus conuocatis, ut de bello Græcis inferendo consultarent, se solum Monarcham ostendit. Vocasse se eos affirmat, ne suo solius consilio vteretur, cæterum scirent sibi magis parendum, quam suadendum esse. Neque vero multo diuersum est imperium Turcarum; subditis, si vllum vnquam, saeuum, & graue. Absolutū enim dominum vitæ, necis, omniumque fortunarum se tyrannus ille pronunciat. Moscos suos etiam plane despotice, quasi mancipia gubernat. Notum est illud Machometæ Vesiri, Moscum & Turcam solos esse regnorum suorum dominos. Non dissimilis tyrannis fuit olim Ingæ in Brasilia, vbi nemo rem propriam habebat, sed Ingæ beneficio, nec eares ad heredes transibat. Mosco tamen principi leges nonnullæ datæ sunt, sicut & Turcæ; sed vbi tanta potestas est, fere licentia ex lex regnat. Fuere tamē olim Heroicis temporibus huiusmodi imperia legitima & iusta. Si quis enim artem multitudini tradidisset, si seruitute liberasset, si sparsos congregasset, aut insigni aliquo beneficio affecisset, à voluntariis reges creabantur, & quia rari boni ac iusti habebantur, sine pactis, & legibus eorum se prudentia, virtutisque vltro committebant; neque enim iuris, & legum præsidia parabant, vbi nullam contumeliam, nullam iniuriam suspicabantur.

Heroicis temporibus absoluta imperia.

Nec deerat ratio qua reges suos illi defenderent. Nempe; τὸ καὶ δόλον μὴ δύναιτο λέγειν, τὸν νόμον, δὲ δὲ οὐ πρὸς τὰ πρὸς πᾶσι νόμιμα ἐπιτάττει. Legem vniuersæ loqui duntaxat, non autem ad ea, quæ eueniunt accommodare, itaque in quauis arte secundum scripta indicare, stultum esse. vetum